



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

VII. De extremo iudicio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

ruere & cum corpore simul omnem amictum deponere cogitur.

VII. DE EXTREMO
judicio.

EXORDIUM *duces ab impiorum infelicitate,* quorum tanta est cæcitas, ut periculosum vitæ suæ statum non videant, & enumerabis studia, quibus præpediti, quæ ad æternam pertinent salutem minimè curant: *vel ab utilitate,* quæ ex meditatione rerum futurarum fluit, quòd à vanis cogitationibus animum abstrahat, à peccandi licentia deterreat, & à studio pecuniarum, rerumque similitium avocet.

In PROPOSITIONE dices, te facere non posse, quin pauca de futuro duntaxat extremi Judicii die Auditoribus in memoriam revoces.

In CONFIRMATIONE PRIMÒ propones *illius diei atrocitatem,* idque per quandam hypotyposin, Judicii formam modumque exprimentem, quòd Christus venturus sit Angelorum stipatus legionibus, ac infinita aliorum cœli civium multitudine circumdatus; ad buccinæ signum omnes à mortuis excitabuntur, clausæ inferorum januæ subito se aperient, fremitus, fulgura, tonitrua per cœlum discurrent; vultus Dei tam horribilis erit, quàm decet judicem indignis modis ad summam iracundiam ab reis provocatum.

SECUNDÒ *Formidabilem* asseres *judicii rigorem,* quod ibidem nihil, ne verbum quidem, relinquatur indiscussum: non modò factorum, sed cogitationum etiam accuratissima ratio instituetur, quidquid clam, omnibusque remotis arbitris paratum est, in clarissimam lucem, omniumque aspectum proferetur. Quid, quòd per Regium Prophetam justitias sese etiam nostras judicaturum Dominus affirmat? Non igitur injuria

D. Hic;

D. Hieronymus dicebat: *sive manduco, sive bibo, semper resonat in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.*

TERTIÒ, *expones rei in iudicium venientis magnitudinem.* Non enim hîc de ingenti pecuniarum thesauro, non de gravissimo perpetuoque à Patria exilio, non de existimatione, capiteque sententia proferetur: sed utrum in omnem æternitatem in gravissimis inferni ardoribus, an verò summis Beatorum gaudiis versandum sit. Hîc ostendes istius damnationis sententiam, nullo huius seculi, quantumvis magno detrimento posse comparari; sicut & felicitatis, cum nulla huius vitæ prosperitate.

QUARTÒ, Ad hæc omnia *docebis accedere, quòd hunc iudicem nemo possit effugere, cum sit potentissimus; nemo rem etiam minimam celare, cum sit scientissimus.*

CONCL. *Auditores omnes commones faciet propria salutis, eosque hortabitur, ut ad animum hæc res frequenter referant, ut Spiritui Sancto per S. litteras hac de re nos momenti morem gerant, reliquo tempore ab improba peccandi consuetudine se abstineant, commissa delicta dignis pœnitentiæ operibus expient, seq; ex consilio Doctoris gentium iudicent, ne à Domino quandoque iudicentur, contra quàm optarent.* 1. Cor. 12.

VIII. LOQVACITATEM NI- miam adolescentibus esse decli- nandam.

EXORDIUM *duces à commendatione præcepti Syracidis: Adolescens, loquere in tua caussa vix, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quarens.* Cap. 32. v. 10.

PROPOSITIO: Te igitur quàm magnam labem adolescentiæ aspergat garrulitas ostensurum.

CON-